



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Diatribai De Primis Veteris Frisiae Apostolis, Sive  
Dissertationes, quibus eoru[m] anni, actus, res,  
personae, loca, tempora in eorundem actis occurrentia,  
discutiuntur, illustrantur, erroresque ab ...**

**Bosschaerts, Willibrord**

**Mechliniae, 1650**

73. De ortu nominis Hollandiae & Zelandiae.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10958**

## De ortu nominis Hollandiæ &amp; Zelandiæ.

**D**E natiuitate & origine nominis Holl. quo tēpore nimirum & à quo exordium sumpserit, concertatio est. Guilielmus Hæda, Doufa, Adrianus Iunius opinantur septentrionales populos ex Hollandia Danica vel Boruffica huc migrantes nomen patrium nostrati Prouinciæ impressisse, more vsitato gentibus sedem mutantibus. Contigisse autem hoc putatur in annum salutis 837. quando à Danis & Nortmannis Batauodurum ferro & incendijs vastatum Frisijisque tributum imperatum est, vt memorat Sigebertus. Pontus Heuterus lib. 1. de nouo & veteri Belgio cap. 12. eius ortum tribuit incurfionibus Danorum post annum 900. Eandem appellationem Nortmannis ascribit in Natal. SS. 17. Aug. Molanus, ac etiam post obitum S. Ieronis à Nortmannis crudeliter occisi circa annum 856. sentit prius auditum nomen Hollandiæ, non ante. Iacobo Meyero Annal. Fland. lib. 11. Hollandiæ nomen est admodum recens & exortum post annum millesimum 66. eo quod Hermannus Contractus vsque ad illum annum scribens, eam semper intitulet Fladirtingam, ab oppido **Wlaerdingen**, nunquam vero Hollandiam. Gerardus Nouiomagus censet inferiorem Batauiam tempore Caroli Calui Franciæ Regis ab anno 841. vsque in annum 879. capisse à Frisijis dici Holtlandiam. Sic Brassica, quod vniuersum istius Prouinciæ tractum nemorosum quondam Fraxineaque ac roborea materia feracē & copiosum extitisse credat, Hollandiam deducit à filuis & lignis Holtlandiam; ita enim subinde legitur. Ridet eam nomenclaturam Doufa, quasi vero Abietum, Fagorum, H h 2 Tiliarumque



Tiliarumque ac Quercuum aliarumque id genus arborum  
 umbrosa comarum opacitate iuxta ac vigore luxurian-  
 tium, leior olim in his locis exuberaverit copia, quam  
 in vicinia, reliquisq; se longius à mari Oceano disitis, nec  
 tam Aquilonarium turbini obnoxio regionibus vento-  
 rum. Alij à cavitare, alij à copia foeni quasi Hoylandiam,  
 alij aliunde originem eliciunt. Suffridus lib. 1. de Orig.  
 Fris. cap. 9. ab Olennio, de quo Tacitus, à Romanis præ-  
 fecto deriuat: Nam cum Olennius ille importuniori tri-  
 butorum exactione ad rebellionem Frisios compulisset,  
 eaque occasione in magnas calamitates coniecisset, vete-  
 res Frisios hanc terram odioso nomine per contemptum  
 Holle landt id est Olenni terram vocasse; adhæsisseque  
 diu cognomen hoc terræ isti, sic vt promiscuè vel Frisia  
 noua vel Olenni terra vocaretur: donec tandem obliterata  
 apud vulgum rei gestæ memoriâ & duabus Idictionibus in  
 vnum compactis, pro Holle landt Hollant dici cœperit,  
 abolito nomine Frisicæ postquam à veteri Frisia secesserat.  
 Verùm hæc speculatio, si non fabulatio Suffridi, à proba-  
 tissimis Historicis contemnitur, vt & nuper ab Arn.  
 Buchelio in notis ad Ioh. Becanum addente Hollandiæ  
 nomen esse recentius & post mille tunc annos ignotum.  
 Ex his omnibus deduco Hollandiæ vocabulum post sæ-  
 culum S. Willibrordi veri que Marcellini esse exortum.  
 Primò, quia plurium grauisimorumque authorum est  
 censura, qui recolligendo sunt Heda, Lemnius, Meie-  
 rus, Molanus, Alfinius, Doufa, Pontus Heuterus,  
 Gerardus Nouiomagus &c. quibus coniunge eos qui Hol-  
 landiæ vocabulum inditum contendunt à Theodorico r.  
 eius Comite, creato anno 863. vel secundum Haræum  
 913. Prouinciales ferocitatis & rebellionis notante,  
 mutato nomine ab equis incitatoribus aurigâ & habe-  
 nas



nas non audientibus, quos vulgo dicimus Hollen. Nec alij aliunde etymon trahentes contradicunt cum nullum certum tempus designent. 2. Quod nulli eorum qui ante annum 800. nobis scripta transmiserunt, Hollandiæ mēinerint, cum tamē Frisiæ, Batauię, Saxonie frequens mentio: quod id ipsum diserte affirmat Heda dicens, in vetustis Historijs latinis nunquam legi hoc nomen Hollandia, nisi apud S. Marcellinum, sed quam vere apud ipsū & quam S. Marcellinus sit, iam probamus. 3. Ex originibus iam adductis, inter quas si rite expendantur, Hedæ, Iunij, Doufæ, &c. sunt præferendæ, quam etiam astruit recens author Iacobus Eyndius Chron. Zelandiæ lib. 2. cap. 3. 4. Quod Frisij imperij summam ea tempestate tenerent: deficiente namque in Gallijs Romano imperio circiter annum Christi 500. Frisij ad summum potentiaæ prouecti, maximam Batauiæ ac veterum Bructerorum trans Amisiam omnem possessionem pulsis Wiltis ac Batauis occupauere, veteribus Batauis in eum Insulæ angulum detrufis quæ Geldriæ attributa adhuc hodie Batauiæ nomen tuetur. Vnde & modò imperij Frisici in Hollandia sunt vestigia, iuxta quorundam relationes, nimirum conditum Harlemum à Frisijis post annum 500: Alckmaria cōdita ab Adgillo Radbodi filio: Medēblicum regia quondam Radbodi: item titulus Ordinum patriæ, Westfrisia. Nec eo imperio exuti fuerunt, nisi postquam Franci superato Rheno in Gallijs regno stabilito exactis Batauia natiuis Frisijis ijsque cum omnibus vicinis domitis maritimas quoque omnes regiones subegerunt. Vltimò, S. Willibrordus Frisonum, est ordinatus Apostolus, consecratus Archiepiscopus Frisonum, per quos intelligendi sunt & moderni Frisij & Hollandi, Zelandi, Ultraienses &c. adeoque nostrorū Apostolorum æuo Frisicæ nomine



mine gaudebat Hollandia : appellatio Hollandiæ posteriori sæculo allata. Obserua nos hic non disquirere an nomen, Hollandia, primitus obuenerit toti Hollandiæ quâ nunc patet. Sunt namque qui opinantur primæuam Hollandiam esse solam insulam Dordracenam siue Hollandiam Austrinam ; & successu temporis nomen fluxisse ad reliquam partem prout nunc ampliâ signficat.

## De Zelandia.



T Hollandiæ, sic & Zelandiæ nomen æuo S. Willibror. & S. Marcell. recentius esse, imo simul à gentibus Aquilonaribus emanasse, testantur Zelandi Historici. De eo Leuinus supra: *Quod uerò ad gentis huius originem spectat, constans fama est, atq; indigenis per manu tradita, à Gothis ac Danis hanc profuxisse, præsertim ab illa insula Cimbrica que in Dania Zelandia nomen inscripta est, in qua spectatur celeberrimum Emporium Hafnia, vulgari nomine Coopmans-haven, à portu negotiatoribus frequentata, qui hanc terram cultoribus vacuam, oppositis erectisq; aggerum molibus, in insulas redegerunt, atq; extructis primum casis, minutisq; atq; angustis tugurijs, sementi ac pascuis reddidère idoneam.* Simili consilio eisdẽ authoribus à Maris Balthici siue Codani sinus cognomine Insulâ exiguo freto à Scandiâ directâ Zelandiam vocari cæpisse Nortmannis regnantibus, docet I. Eijndius Chronici. lib. 2. cap. 5. Est nempe insitum nature hominum vt absentes & exules natalis soli vnde exierunt ardentè plurimùm recordentur, eius nominibus acquisita loca insigniant, vti hodieque in remotis Indiarum regionibus cernimus fieri ab occupatoribus. Id-  
ipsum



ipsum de sui sæculi genio lib. 5. de bello Gallico refert I. Cæsar: *Maritima pars, inquit, ab ijs, qui prada, ac belli inferendi causa, ex Belgio transfierant: qui omnes ferè ijs nominibus civitatum appellantur, quibus orti ex civitatibus eò pervenerunt, & bello illato, ibi remanserunt, atq; agros colere cœperunt.*

Quanam gentes antè Zelandiam incoluerint, alieni est dramatis. De ijs strictim & de eius Etymo Ad. Hofferus poëta:

*Mascula gens, quam Zelandos hac nuncupat ætas,  
Cur vos Mattiacos pristina sæcla vocant?  
An quia vulgato gentis sermone soletis  
Consortes operum M A A T vocitare viros?  
Sive fuis prisco Toxandria nomen ab avo,  
Sive Giganteos vos, Slaviosq; vocem?  
Ecquis ab antiquo credat deducta Zelando,  
Nostraq; in Iliacâ sceptra fuisse manu?  
Arboricaeque putem signatas nomine terras,  
Forè quod arboribus luxuriabat humus?  
Quaq; alia instabili Criticus dijudicat arte,  
Ista sub obscuro cortice sensa latent.  
Sed cur Zelandi nunc dicimur? an quia nobis  
Plus vicina quatit littora nostra Thetys?  
An quia Cimbrorum Sialandia Gens origo est,  
Aut debellatis imperitavit avis?  
An quia cœu Syrtes medijs enascimur undis  
Quâ mare, vel densis turget arena vadis?  
Sive quod aquinocans telluris imago, marisq;  
Nos velut aquoreos, terrigenasq; facit?  
An quia disiecti in varias dispescimur oras,  
Mixtaq; sunt terris aquora, terramari?  
Nominis hac nostrivatio est, luçtamur in undis,  
Rursus & emerso vertice stamus humo.*

*Nempe*



L V C T O R E T E M E R G O .

Non prætereunda sunt hæc verba quædam Alcuini: *Quodam tempore dum Venerabilis vir (Willibrordus) iter euangelizandi more solito ageret, venit in quandam villam, Walachram nomine, in qua antiqui erroris Idolum remanserat: quod cum vir Dei, zelo feruens, confringeret, presente eiusdem Idoli custode, nimio furore succensus ille, quasi Dei sui iniuriam vindicaret, in impetu animi insipientis, gladio caput sacerdotis Christi percussit: sed Deo defendente seruum suum, nullam ex ictu ferientis lasuram sustinuit.*

Vbi si per villam Walachram accipiat Regionem quæ modo Walachria nominatur, admodum improprie locutus est author, nec à quouis intelligetur. forsan in aduentu S. Willibrordi erat villa seu oppidum eiusce nominis, alio nomine Westcapella, ita nominatum ab Idolo *Walcher* ibidem celebriter culto. Westcapellam namque, qui nunc est pagus, olim præclaram urbem in eaque Idolum *Walcher* adoratum fuisse, perhibent monumenta: ac ut nomen *Walcher* in urbem, ita tandem in totam prouinciam esse derivatum, ut *Walcheren, het Landt van Walcheren* diceretur: quemadmodum a pago *Switz* tota Regio Heluetiæ induit nomen *Switzerland*. Quidquid de casca re sit, certò Walachria est & significat nunc intulâ & quidem omnium Zelandicarum nobilissimam, in qua S. Willibrordus docuit & Idolum *Walcher* alio nomine *Mercurij Westcappellæ* cōfregit, quod patrij Rithmi decantant: Alij scribunt Idolum Martis confregisse, potuit vtrūque: varios enim Deastros & Deastras Frisij, sub quibus



bus in m Zelandi, honorabant, prout dissert. 50. enumeramus,

## DISSERTATIO LXXIV.

## De nomine Lotharingæ &amp; Flandriæ.

**L**otharingæ vocabulum recentius vñanimis peritorum consensus facit, natum denique post annum 855. à Lothario iuniore (non seniore vt perperam scribunt Diuzus & Sigebertus) Austrasiæ rege Austrasiam à suo nomine Lotharingiam nominante. Vide Molanum militiae sacræ cap. 18. De Lotharingia, eius diuisione & finibus plura idem Molanus in præfatione ad militiam sacram & Louwius in annotationibus ad eandem præfationem. Vide etiam Miræum in Annal. Belgicis ad annum 855.

De Fland. natalitijs ingentes tenebræ. Varij varia augurantur. Bellante Cæsare & Tacito scribente Morinorū erat Regio, *Hourenlandt*. Rutheniam fuisse aliquando nuncupatam docet ex Rurfredo Anglo Scriuerius in antiquitatibus Batauicis; cui consentit Cænalis indicatque Meyerus. Pipinis regnantibus Francia Occidentalis audiebat. Quinimò Saxoniarum nomen, saltem ex parte, tulit sub Carolo magno, ob Saxones deuictos eò translatos. hinc litus Saxonicum, nunc Flandricum, vt non appareat etatem S. Swiberti triuiffe, aut S. Marcellini calamum affecisse.

Sed vnde tandem vox Flandria? Alij à Flandrina femina: Alij à quodam Ordinum Ductore Flamberto: Alij à fluctu & flatu: Alij à *flaincten* quod æstus reciprocationē significare volunt, deriuant. tempus non addunt. Verum